

*Quid dubitas, quin omne sit hoc rationis egestas?  
 Omnis cum in tenebris præsertim vita laboret.  
 Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis  
 In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus  
 Interdum nihilo quæ sunt metuenda magis, quam  
 Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.  
 Hunc igitur terrorem Animi, tenebrasque necesse est,  
 Non radii solis, neque lucida tela Diei  
 Discussant, sed natura species, ratioque.*

Quod autem mentis ad alia conversio affectus compescat vel præcaveat, patet ex Platoni consilio, qui irascentem, antequam vindictam sumeret, literas alphabeti mente percurrere volebat. Mente enim hac ratione, ab objecto iram concitante, ad alia conversâ, & spirituum motu hinc per moram languescente, affectus excitatus vel imminuitur, vel tollitur.

XIII. Et quia motus, ab objectis perceptis ad cerebrum delati, spiritus cerebri diversimode determinant, ac proinde varios affectus in nobis non satis attendentibus, vel res non satis bene examinantibus excitant; hinc sæpiissime fit, ut, à sola voce, vel gestu leniore, ad amorem, favorem, vel misericordiam, ab asperiore ad odium, iram, vel insultationem, quamvis nulla alia justa talium affectuum adsit causa, pene inscii rapiamur. Quod præcavebimus vel corrigemus ad rem ipsam bene attendendo, & bene de ea judicando.

XIV. Et quoniam temperamenta & judicia hominum sunt varia, atque hinc varii spirituum motus ab eodem objecto in hominibus excitantur; idcirco ab eodem objecto, in variis, imo etiam diverso tempore in iisdem hominibus, varii producuntur affectus.

XV. Et quia spiritus animales, in ventriculis cerebri existentes, pro vario suo motu affectus excitante, apti sunt, instar variarum clavium, varios cerebri & nervorum aperire poros, hinc, quoniam in variis affectibus est varius spirituum motus & determinatio, fluunt etiam spiritus, in variis affectibus, varie in diversas partes, easque diversimode afficiunt;